

« Præceptum enim hoc Officii ex benignitate Ecclesiæ benigne est interpretandum. E converso, valde erit anxietatibus obnoxium, quod socii in Officio semper solliciti esse debeant ad quamnam quantitatem pervenerit « omissio auditis, ut teneantur, vel non, repetere. »

53. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o BALBUS *probabilius* satisfacit suæ obligationi. Ratio est, quia, cum a puero habuerit linguam blæsam, defectus pronuntiationis videtur potius naturalis quam moralis, nec proinde ad culpam gravem imputari potest. Etenim hujusmodi hominibus balbutientibus tam naturale est verba syncopare, ut generatim aliter facere nequeant. Imo, sæpius quo magis recte pronuntiare conabuntur, eo pejus pronuntiant. BALBUS igitur a peccato saltem gravi excusandus videtur, neque quivis alius similis, noxæ mortalis reus habendus est, nisi defectus sit certo corrigibilis, et excessus sit enormis. *Elbel, ibid. — Gobat. — Layman, etc.*

2^o ADRIANUS quoque satisfacisse censetur, licet valde imperfecte socium audiverit. Ratio patet ex modo dictis. Etenim fecit quicquid moraliter potuit ad BALBUM audiendum, tum aures attentas præbendo, tum etiam socium hunc admonendo, ne citius procederet. Ergo ejus recitationem rite sibi fecit communem, seu in oratione cum eo communicavit.

3^o An vero ADRIANUS potuerit solus omnes lectiones et alia omnia, præter psalmos, legere, altero audiente tantum? *R. Affirmative.* Socius enim satisfacit, quia hæc audiendo sufficienter in oratione communicat, cum jam partem suam psalmorum recitaverit. Hoc præsertim valet in nostro casu, in quo melius est pro utroque ut BALBUS audiat, quam si legat. *S. Lig. n. 162. etc., contra Reuter.*

54. — *R. ad 3^m Quæ.* 1^o Satisfaceret sane ille qui cum surdo Officium recitaret, quia ex ipsius parte nihil deesset ad debitam recitationem, cum recte pronuntiet et audiat.

2^o Surdus vero minime satisfaceret, quia, nihil omnino audiendo, in oratione communicare non potest. Hinc surdus assistens choro debet omnia submisso recitare. *S. Lig. n. 163, Quæ. 3, et alii contra Suarez.* Secus vero *probabiliter* dici potest de *surdastrò*, seu de eo qui difficulter audit, si attentionem præstet, et audiat in quantum potest, saltem si advertat in Breviario ea quæ in confuso audit, ita ut bene percipiat ea quæ dicuntur. *S. Lig. ibid.*

CASUS IX.

ANCILLA RECITATIONIS SOCIA.

NICON, Parochus, ex devotione majori, incommodoque minori, alternatim cum socio aliquo Officium divinum recitare solet. Cum autem sæpe deficiat alter Clericus, Horas legit cum *laico*, scilicet *Titio*, *sacrista*, qui non intelligit quid ipse proferat nec attendit quid a Sacerdote proferatur. Imo, deficiente *sacrista*, cum MARTHA, ancilla rite edocta, et proprio Breviario instructa, chorum instituit, et, alternatim recitando, diurnum pensum persolvit.

HINC :

QUÆR. 1^o An, bonus NICON valide et licite cum laico et cum femina recitaverit?

2^o An tenearis socium adhibere, etiam laicum vel mulierem, si solus Officium recitare non valeas?

SOLUTIO :

55. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o NICON valide recitavit Officium cum laico, quia nihil deest ad validam recitationem; neque necesse est ut socius in recitatione præcepto Ecclesiæ obligetur. Agit quoque licite *per se*, si Horas recitet cum viro pio, de modo et ordine recitandi bene instructo. *Reut. n. 262.*

2^o Valide etiam Parochus Horas cum ancilla recitavit ob eandem rationem. Mulieres enim a recitatione Officii non prohibentur, siquidem Moniales obligatione illud recitandi ligantur. Non tamen laudandus est in hoc NICON noster, quia non videtur decere ut Sacerdos mulierem sociam in recitando Breviario adhibeat.

56. — *R. ad 2^m Quæ.* Si Horas solus legere nequeas, teneris socium adhibere quando facile aliquem invenis, et commode eum adhibere potes, quia in hoc casu non datur impotentia proprie dicta ad Breviarium recitandum. Non teneris tamen aliquem stipendiò soluto requirere, quia medium esset extraordinarium. Neque teneris laicum et a fortiori mulierem sociam in hoc casu adhibere, quia nemo ad media extraordinaria et singularia adstringi debet. *V. Comp. n. 97.*

CASUS X.

CAUSÆ A RECITATIONE EXCUSANTES 1^o.

NAZARIUS, Parochus, versus mediam noctem ad ægrotum administrandum advocatus, recordatur se Vesperas non recitavisse, easque omittit, ut ægrotò succurrat. Idem non raro totum prætermittit. Officium ob urgentes occupationes, v. g. ad confessiones excipiendas in vigilia vel die festo, tempore Missionis, etc. Iterum, Officium quoque omittere solet ex mediocri dolore capitis, etc.

HINC :

QUÆR. 1^o Quænam sint causæ a Breviario excusantes?

2^o An NAZARIUS legitime fuerit excusatus?

SOLUTIO :

57. — *R. ad 1^m Quæ.* Causæ a recitatione Horarum excusantes ad triplicem classem referuntur, quæ sunt :

1^o Impossibilitas, sive physica sive moralis, quæ consistit in difficultate valde gravi Officium persolvendi; 2^o caritas erga proximum, id est, gravis et repentina occupatio, quæ sine detrimento proximi omitti nequit; 3^o dispensatio legitima, seu a legitimo Superiore, cognita causa, concessa. *V. Comp. n. 95.*

58. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o NAZARIUS sane legitime excusatus fuit ratione

caritatis, seu necessitatis ægroto succurrendi. Sed præcavere debet ne, absque rationabili causa, Vesperarum recitationem adeo differat, ut forte, in simili casu, eam omittere debeat.

2° Non videtur facile excusandus NAZARIUS ex eo quod non raro Officium ob urgentes occupationes posthabeat, quia in praxi rari videntur adesse casus in quibus propter negotia pertractanda omitti possit. Etenim pii Sacerdotes, etiam occupatissimi, hac obligatione funguntur, quin res necessario peragendas derelinquant. Si consuetudinem haberet NAZARIUS, maturius, seu primo tempore opportuno, pium pensum persolvendi, difficultates ejus plerumque evanescerent. Quare Horarum recitationem ad ultimum tempus remittit, velut minoris momenti negotium? « Sed, ait, urgent aliquando confessiones audiendæ. » Generatim non valet hæc excusatio, quia Vesperas recitare facile potest, saltem ordinarie, antequam operi se accingat, et elapsa una vel altera aut tertia hora, facultas etiam dabitur ut Matutinum diei sequentis interponat. Qui fit, quæso, ut innumeri Missionarii fere nunquam, neque ob gravissimas occupationes, Officium omitant? Attamen *S. Lig. n. 156*, supponit Missionarios quandoque legitime excusatos esse.

3° Nec valet ultima ratio a NAZARIO adducta, seu ob mediocrem capitis dolorem. Requiritur enim incommodum vere grave ad te ab Officio excusandum; dolor autem mediocris grave incommodum non inducit. *V. Comp. n. 95.*

CASUS XI.

CAUSÆ A RECITATIONE EXCUSANTES 2°.

LAURENTIUS, Sacerdos, iter, die quadam, molestissimum, per nives et glacies, per avia ei devia, pedester incedendo, confecerat; nec tantum temporis reperit quantum ad Horas et Vesperas recitandas requirebatur. Tandem, maxime defatigatus ac viribus debilitatus, quum circa horam nonam noctis pervenisset ad aliquod hospitium, et corpus nonnihil refecisset, somno obrutus, quieti sese dedit, ratus se melius facturum dormiendo quam Horas somnolenter recitando et, sine omni prorsus devotione, percurrendo. Postea tamen stimulis conscientiæ exagitatus fuit, quia mane, antequam itineri se committeret, hanc Officii partem recitare potuisset. Rem Confessario aperit, ab eo postulans an peccaverit, et quid in simili casu alia vice esset sibi faciendum?

HINC :

QUÆR. 1° *An LAURENTIUS graviter peccaverit, partem Officii omittendo; seu, an fuerit a recitatione sufficienter excusatus?*

2° *Si Sacerdos, ludo vel confabulationibus detentus, distulisset Officium hac die recitandum et cœnam usque ad horam 11 1/2 noctis, possetne omittere Officium ad cœnandum?*

SOLUTIO :

59. — *R. ad 1^m Quærs.* LAURENTIUS, prævisa difficultate, debuisset inte-

grum diei Officium recitare antequam iter susciperet; tunc enim datur obligatio anticipandi, eadem currente die; si id facere non potuit summo mane ante discessum, iter agendo peragere debuit, saltem per partes, sive consistendo, sive incedendo. Si vero neque mane, neque decurrente die, id præstare potuit, suadendum quidem ei erit ut naturæ lassatæ vim inferat, antequam quieti nocturnæ se committat, et tributum Deo debitum persolvat. Attamen ad hoc obligandus non videtur. Ratio est, quia, stante tanta defatigatione, LAURENTIUS sine maxima difficultate Horas recitare non potest: quod autem fieri nequit sine permagna difficultate est moraliter impossibile; atqui Ecclesia, pia mater, non vult obligare filios ad id quod est moraliter impossibile: ergo... *Elbel, n. 452.*

60. — *R. ad 2^m Quærs.* Nequaquam. Ratio est, quia obligatio recitandi pensum canonicum adhuc currit, et potest adhuc impleri. Nec adest ratio cur Ecclesia tali Sacerdoti indulgeat. Si enim tantum temporis concedere potuit ludo vel mundo, quidni etiam partem horæ Deo non consecraret? quare obligationem tanti momenti adeo distulit? Nonne æquum est, ut aliquam pœnam de sua tam gravi incuria subeat? Si vero die sequenti Missam serius ex officio celebrare debeat, et huic oneri impar sit, nisi cœna refectus fuerit, tunc ei indulgendum est ut aliquid manducet, antequam Breviarii recitationem aggrediatur; secus enim, hora duodecima interveniente, remanere deberet incœnatus et jejunos, donec Missam celebravisset. De cætero, si antea animadverterit se periculum incurrere ne Breviarium ob impotentiam absolvere posset, jam peccavit dum ludo indulgere perrexit.

61. — *Objicies:* Ille qui improbo labore se adeo defatigavit, ut nequeat sine magna difficultate abstinere a cœna die jejunii, non peccat cœnam integram sumendo; ergo nec talis Sacerdos tenetur cœnam relinquere, et hujus loco Breviarium recitare.

R. Nego cons. et paritatem, quia prior supponitur ita debilitatus ut nequeat sine magna difficultate abstinere a cœna; dum Sacerdos de quo agitur, cum potuerit sine tanta difficultate ludere aut confabulari usque ad seram noctem, potuit etiam recitare Breviarium per mediam horæ partem, vel forte minus, si minor pars Officii recitanda sit, et reliquum tempus, si supersit, refectio corporis concedere. *Elbel, n. 454 et 455.*

CASUS XII.

PAROCHI MUNUS 1°.

1° DIDYMUS, Parochus, de concionibus habendis parum sollicitus, a concionando per mensem abstinuit. Alias, per duodecim festa interrupta intra annum prædicare omisit. Alias putavit se obligationi docendi doctrinam christianam satisfacere, si plerumque tale munus per Vicarium, seu adiutorem valde idoneum, id præstaret.

2° NICEPHORUS, parochiæ Rector, singulis diebus Dominicis in Missa solemniter concionem ad populum habet, seriam quidem et concinnatam, sed quartam horæ partem non excedentem. Expleto autem vespertino Officio, rudimenta doctrinæ christianæ pueros vix per semihoram docet. Conscientiæ stimulis agitatus, postulat utrum officio suo satisfecerit?

3° MUTIUS, vicinam regens parochiam, productas imo et prolixas habet conciones, omissa prævia præparatione. Frequenter invehitur contra vitia subditorum, sive vera sint, sive supposita, ac imprimis contra detractio- nem et calumniam, si audiverit quosdam de ipso male locutos fuisse.

HINC :

QUÆR. 1° *An graviter peccaverit DIDYMUS, prædicationem omittendo, prout in primo casu?*

2° *An NICEPHORUS muneri suo satisfecerit in secundo casu?*

3° *Quid de MUTIO dicendum in tertio casu?*

SOLUTIO :

62. — *R. ad 1^m Quærs.* 1° Graviter peccavit DIDYMUS, prædicationem per mensem continuum omittendo. Ratio est, quia tenetur Parochus verba facere ad populum singulis diebus Dominicis, et singulis festis majoribus. Constat ex *Trid.*, sess. 5, c. 2, de *Reform.* Atqui in omissione prædicationis per mensem integrum et continuum datur materia gravis, siquidem tempus illud notabile reputari debet. Ergo revera DIDYMUS graviter peccavit in primo casu. Attendendum est etiam ad statuta synodalia, quæ sæpe hac in re modum et tempus præscribunt.

2° Etiam in secundo casu, peccati mortalis reus evasit. Etenim, si mensis integer continuus est materia gravis, ut modo dictum est, a fortiori materia gravis censi debent duodecim festa intra annum interrupta.

3° Erravit etiam graviter DIDYMUS, dum putavit satis esse si munus prædicandi Vicario idoneo committeret; obligatur enim ipse personaliter oves suas pascere, saltem sæpissime, nisi rationabili causa impediatur. Constat ex verbis *Concilii Trid.* Sic enim habet sess. 5, c. 2, de *Reform.*: « Quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro suo et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ omnibus scire necessarium est ad salutem, annuntiando eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quæ eos declinare, et virtutes quæ sectari oporteat; ut pœnam æternam evadere et cœlestem gloriam consequi valeant. »

Ergo DIDYMUS non satisfacit obligationi suæ, si continuo, decurrente anno, munus suum per alium exerceat. Vide *S. Lig. de 4^o Præc., et Comp.* n. 112.

63. — *R. ad 2^m Quærs.* 1° Non videtur inquietandus NICEPHORUS, ratione prædicationis, quia, licet breviter dicat, solide tamen populum docet. Imo in multis locis Parochus aliter facere non potest, quin auditores a concionibus audiendis deterreat.

2° Etiam muneri suo plane satisfacit, doctrinam christianam per semihoram singulis Dominicis docendo, quia hoc tempore sufficienter docere potest.

64. — *R. ad 3^m Quærs.* Quid de MUTIO dicendum? Multa forent contra ipsum dicenda, quia ipse nimis multa dicit quæ verbi divini prædicatori non expediunt. Licet prolixè loquatur, plebem tamen non instruit. Minime

est in conscientia tutus, cum absque prævia præparatione, vel saltem seria meditatione, pulpitum sacrum ascendat, verba vaga, confusa, prolixa, incohærentia facturus. Plus æquo etiam in vitia, non solum publica, sed et privata, modo increpatorio, potius quam vero animarum zelo, invehitur. Ut quid insuper, o Sacerdos imprudentissime! quæ tua sunt inter concionandum requiris? Ut quid alludis ita patenter iis quæ contra teipsum dicta sunt, dum solo zelo divinæ gloriæ et animarum salutis, tui ipsius immemor, excitari deberes?

CASUS XIII.

PAROCHI MUNUS 2°.

1° PHILETUS, Parochus, extra tempus Paschale confessiones parochianorum audire abnuit, nisi prima cujusque mensis Dominica, modo tamen festum solemne interea non occurrat.

2° PHILONICUS, etiam animarum Pastor, in loco insalubri degens, et sæpe capite laborans, non monito Episcopo, sed relicto, sui loco, Sacerdote idoneo qui ejus vices supplere valeat, solet mensibus Julio et Augusto abesse, et in alio loco non procul distante, sed salubriore commorari. Præterea, sæpe tota die discedit, nullo ibi idoneo Sacerdote relicto, certus tamen nullum infirmum in parœcia tunc temporis reperiri.

HINC :

QUÆR. 1° *An PHILETUS possit indicare raros dies ad confessiones excipiendas, præsertim si Vicarium habeat?*

2° *An PHILONICUS abesse queat, prout in secundo casu?*

SOLUTIO :

65. — *R. ad 1^m Quærs.* Nequaquam. Pastor enim se debet præbere plerumque ovibus suis pascendis. Fideles igitur omnimoda libertate gaudere debent Parochum ipsum adeundi. Quot parochiani a confessione arcerentur, si una die per mensem tantum ad Parochum accedere valerent! Numquid, aliis etiam temporibus, gravi necessitate spirituali premi nequeunt? Et etiam, stante mera utilitate, nonne jus habent ut generatim audiri, atque ad Sacramenta admitti possint? Pastor sui non est, sed Dei, Ecclesiæ, gregis.

66. — *R. ad 2^m Quærs.* 1° PHILONICUS abesse nequit, prout dicitur in primo casu, licet capite laboret, et idoneum Vicarium, sui loco, relinquat. Ratio enim illa non sufficit ad excusandum a residentia, non monito Episcopo, ut constat ex Decretis a *S. Cong.* datis anno 1575 et 1604, juxta *Conc. Trid.* mentem.

2° Bene potest autem PHILONICUS abesse die integra, imo et altera, absque licentia Episcopi, modo idoneo Vicario parochiam commendat. Quoad triduum controvertitur. Certo autem integra hebdomada abesse nequit, quin facultatem a suo Prælato obtineat. An vero Vicarius, constitutus pro Parochi absentia unius vel alterius diei, residere debeat in ipsa parochia, vel Sacerdos versans in parochia vicina parum distante supplere possit? Hoc posterius tantum ex praxi sat generali videtur teneri posse,

nisi Episcopus prohibeat. Hac autem in re, specialiter ad statuta synodalia attendendum est.

CASUS XIV.

ADJUTORIS PAROCHI MUNUS.

CORRADUS, Parochi adjutor, seu Vicarius, non monito Parocho, a residentia non raro discedit ad unum aut plures dies. Quondam, cum ab amico Sacerdote extraneo inviseretur, dum esset domo in Ecclesiam profecturus, tum ad puerum baptizandum, tum ad Matrimonium benedicendum, ut illi morem gereret, utrumque munus eidem commissit. Mortuo autem Parocho suo, ipse omnia officia pastoralia peragere perrexit, confessiones excipiendo, baptizando, sponso benedicendo, etc.

HINC :

- QUÆR. 1° *An Vicarius discedere possit, etiam ad breve tempus, non monito Parocho?*
 2° *An alium Sacerdotem delegare possit?*
 3° *An mortuo Parocho, omnes functiones sacras, ut antea, obire valeat?*

SOLUTIO :

67. — *R. ad 1^m Quæs. Nego*, quia ratio recti ordinis et etiam necessitatis requirit ut ipse Parochus non discedat a parochia, Vicario non monito, qui Parochum, casu occurrente, supplere possit; a fortiori igitur, si de Vicario agatur siquidem sub quadam Pastoris tutela constituitur. Sic etiam declaratum fuit a S. Congr. Conc. *Vide Analecta Juris Pontifici*, tom. 3, livraison 46, p. 372.

68. — *R. ad 2^m Quæs. Affirmative*. Nulla quidem difficultas ratione Baptismi, cum minime de validitate, sed de mera licetate agatur. Sed neque difficultas major obijcienda est quoad Matrimonium, licet jurisdictio ad validitatem requiratur. Ratio est, quia delegatus ad universitatem causarum subdelegare potest. Vicarius autem merito censetur delegatus ad causarum universitatem, nisi in aliquibus locis ejus delegatio restringatur. Vicarius ab ipso Episcopo, in actuali Ecclesiæ disciplina, in multis locis vigente, constituitur ut Parochum in omnibus adjuvet, ipsumque suppleat. Sed alium Sacerdotem delegare nequit ut assistat Matrimonio extra parochiam celebrando, quia tunc neque ipse valide sponso benedicere posset, cum jurisdictione territoriali tantum, seu intra parochiæ limites remanente, gaudeat. *Collet. — Sanchez. — Carrière, etc. — V. Comp. de Matr. n. 850.*

69. — *R. ad 3^m Quæs. Affirm.* Ratio est, quia communiter Vicarii omnem delegationem ab ipso Episcopo accipere censentur. Ergo, non obstante Parochi morte, Vicarius omnes functiones sacras sicut antea obire potest, nisi Episcopus contradixerit. *Collet, editor et adnotator cas. Pontas, verbo Vicaire, contra ipsum Dictionarii casuum auctorem.*

CASUS XV.

CONFESSARIUS INTRICATUS!

Seu de libera Confessarii electione.

LIBORIUS, Sacerdos, renuit confessionem BERTÆ audire non obstantibus iteratis ejus precibus... Sed quare, quæso? Numquid deficit in eo zelus, caritas, pietas? Numquid aliquo rancore movetur? Minime gentium. Quare igitur? Rem tibi subjiciam : renuit eam audire, quia novit eam solere ALBINO confiteri, et ipsum ALBINUM pœnitentibus suis, præsertim mulieribus, adeo adhærere, ut, si quando ab aliqua deseratur, id ægerime ferat, perinde ac si pupillam oculi sui erutam cerneret. Proinde valde reformidat ne socium graviter contristet, et ne ipse ab eo in posterum oculo torvo aspiciatur.

HINC :

- QUÆR. 1° *An recte LIBORINUS egerit? seu an potuerit repellere pœnitentem, ne ALBINO ejus Confessario, vel etiam Parocho, displiceat?*
 2° *Quid de ALBINO et aliis hujusmodi sentiendum?*

SOLUTIO :

70. — *R. ad 1^m Quæs.* Minime laudandus est LIBORIUS, saltem *per se*, ex eo quod pœnitentem alterius admittere noluerit. Ratio est, 1° quia ALBINUS in hac sua generali ratione agendi male agit, libertatem confessionis fidelibus adimendo, et LIBORIUS ipsi connivere videtur; 2° quia non raro, gravi de causa, duci possunt pœnitentes ad mutandum Confessarium. Minime igitur LIBORIUS attendere debebat ad oculum torvum socii, neque ad ejus indebitam, imo et stultam tristitiam. Nec temperanda foret hæc solutio, si ALBINUS non simplex LIBORII socius sed ejus Parochus esset. Attamen prudenter ager LIBORIUS, si perpendat rationes quibus pœnitentes ad mutandum Confessarium ducuntur. Quod si animadvertat id fieri ex inconstantia, levitate, inobedientia, enixe et blande eos adhortetur ut ad suum Confessarium redeant, et se ipsi subjiciant; si obtemperare nolint, eos quidem excipiat, sed caute et prudenter cum eis agat : non pauci enim Confessarii a novis pœnitentibus decipiuntur.

71. — *R. ad 2^m Quæs.* Dammandus est ALBINUS, quia pœnitentes suos exiit libertate conscientiæ, qua ab ipso Christo donati sunt, ut eos ferrea catena sibi devinciatur, sicque causa est cur tot sacrilegia, defectu integritatis, in confessione patrentur. Dammandus est, quia invidia in tam sacro ministerio regi et moveri videtur, dum unice ad gloriam Dei et animarum sanctificationem promovendam attendere deberet (1).

(1) « Vouloir enchaîner à son confessionnal tous ses paroissiens, témoigner son respect à ceux qui s'en écartent, *spargere grana exquisita loco granorum communi* cum intentione attrahendi columbas vicinorum : quelle petitesse et quelle source de sacrilèges ! Que dirait ce Prêtre, si on lui refusait le libre choix de son médecin

Nonne vides o ALBINE! hanc tuam agendi rationem ab aliis intelligi, circumferri, vituperari, despici? Ecce! gregis tui pecora ad alia pascua dilabuntur! Quo majori autem conatu et clamore satagis ea cohibere ac reducere, eo majori impetu huc et illuc disperguntur. Sine, quæso, pro divino amore, oves tuas interdum alios adire, si cupiant, et libentius redibunt. Verum, etiamsi in alieno ovili commorarentur, numquid tibi lugendum erit? Numquid indissolubili vinculo tibi sunt desponsatæ? Numquid eas velut oves perditas conclamare debebis? Cures in posterum ut oves tuas soli jugo Christi devincias, et eas teque ipsum salvabis. Audi hac de re divum Thomam :

« Ad sextum, dicendum quod in hoc quod oportet confiteri proprio Sacerdoti, non arctatur via salutis, sed sufficiens ad salutem via statuitur. « Peccaret autem Sacerdos si non esset facilis ad præbendam licentiam « confitendi alteri; quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur. Unde illi qui « sunt nimis solliciti ut conscientias subditorum per confessionem sciant, « multis laqueum damnationis injiciunt, et per consequens sibi ipsis. » S. Thom. in 3 lib. Sent. Distinct. 17, quæst. 3, art. 3, ad 6^m.

Quid igitur sentiendum de Confessariis qui ægre ferunt si pœnitentes alios Confessarios interdum adeant, et de illis qui *selecta ac exquisita grana spargunt cum intentione alienas columbas alliciendi*? Nescio an in tam præclaro ac divino munere, nempe animas in cœlestem patriam deducendi, tantum Dei laudem, fideliumque salutem, quantum propriam gloriolam requirant? Nescio an *spargant cum Christo Domino*, vel num potius, motivo mere humano ducti, *dispergant*? Nescio an vero animas salvandi zelo, vel potius animo turpis invidiæ, aut inanis superbiæ moveantur? Quare enim tantum gregem pœnitentium congregare ambiunt? Quare adeo moleste ferunt, si a nonnullis, præsertim conspicuis, deserantur? Respicite, o Confessarii, animas sanguine Christi intinctas, et omnis sensus naturalis et humanus a vobis procul erit, et libertas a Christo Domino concessa a vobis non coarctabitur.

CASUS XVI.

CANONICORUM OBLIGATIO.

1^o BECANUS, Canonicus, sæpe abest non solum a sociorum religiosorum conventibus, sed etiam, absque ulla Capituli vel Prælati licentia, ab urbe episcopali, imo ab ipsa diœcesi, tum ad negotia pia peragenda, tum ad animum relaxandum quolibet anni tempore. Nec existimat se ullius culpæ reum esse, cum tres menses vacationum a Concilio Trident. Canonicis concessos non prætergrediatur.

2^o MITIVIVS parvis Horis in choro persolvendis ordinariè non interve-

« ou de son Confesseur? Se croit-il donc plus sage, dit S. François de Sales, que le « Concile de Trente qui veut qu'un Confesseur extraordinaire soit offert aux Religieuses, « bis aut ter in anno? Ou bien les Religieuses sont-elles plus suspectes que les autres? » P. VALUY, *Manuel du Prêtre en retraite*.

nit, ut studio indulgeat. Non raro in cæteris Horis voce demissa Officium legit, quia numero sufficientes adsunt alii cantantes, sive Canonici, sive alii stipendio conducti, nec tunc partem ab adverso choro persolutam recitat, sed audit tantum. Aliquando Officium divinum cum aliis decantans, submissa voce non legit psalmodum aut hymnorum versiculos qui solemniter cum organo canuntur.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quatenus abesse possint Canonici, sive a choro, sive a residentia? Et quid de BECANO statuendum?*

2^o *An vel quomodo peccaverit MITIVIVS non interveniendo choro pro Horis minoribus recitandis, vel Officium submissa voce legendo, prout in secundo casu?*

SOLUTIO :

72. — R. ad 1^m Quæs. 1^o Canonici abesse possunt sive a choro, sive a residentia, absque speciali ratione, seu ad meras vacationes per tres menses, decurrente anno, sive continuos, sive interruptos, modo Ecclesiæ suæ consuetudine tempus illud restrictum non fuerit. Sed vacatio ista incidere non debet in tempus *Adventus, Quadragesimæ*, neque in festa *Paschæ, Pentecostes, Nativitatis Domini*, neque in earum *Octavas*. Canonici autem simul abesse nequeunt ultra tertiam Capituli partem. Si limites diœcesis excedere velint, licentiam ab Episcopo petere debent; secus nulla facultate indigent. V. *Comp. n. 116*.

2^o BECANUS ex dictis judicandus est. *Per se* non est inculpandus, scilicet ratione absentiae, quæ ultra tres menses non producitur. Sed ad exceptiones et restrictiones modo memoratas sedulo attendendum est.

73. — R. ad 2^m Quæs. MITIVIVS, in præfatis casibus, minime obligationi suæ satisfacit. 1^o Peccat, non interveniendo parvis Horis in choro persolvendis; nec ratione studii, ab illa obligatione excusari potest.

2^o Peccat recitando Officium demissa voce, licet cum aliis in choro assistat; quia Canonicus, in quantum moraliter potest, cantare debet. Neque excusatur ex eo quod adsint alii ad chorum sufficientes; quia non satis est ut chorus haberi possit, sed requiritur ut singuli Canonici pensum suum persolvant.

3^o Quid de hoc, quod suam partem submissa voce recitet, et alteram audiat tantum? — R. Si ageretur de choro in genere, *probabiliter* satisfaceret, quia per chorum videtur sufficienter communicare cum aliis in orationibus; sed hoc admittendum non est de Canonicis, qui, si non canunt, amittunt tam distributiones quam fructus præbendæ. S. *Lig. n. 163*.

4^o Neque satisfacit MITIVIVS, omittendo recitare submissa voce ea quæ a nemine assistentium pronuntiantur; etenim nulla est communicatio moralis in recitatione, vi cujus liceat illi partem suam tantum pronuntiare. Deberet saltem aliquis Clericus deputari, ut, nomine omnium Canonicorum, alta voce recitaret ea quæ cum organo canuntur, ut Rubrica præscribit.